



S Hieronymus natus est patre Eusebio viro honesto in Pannonia inferiore, & magnè Germaniæ finibus, in oppido Stridonis, quod tum à Gotthis occupatum fuerat. Eo enim tempore Germaniæ limites magis ad Orientem, & minus ad Occidentem extendebantur. Nam postea cum Germani Rhenum transcenderent, et Galliam inuaderet, Vngari Orientalem Germaniam occuparunt. In eo loco à parentibus pīs diligenter institutus, una cum Bonoso inter ipsos statim parentum amplexus & nutricum blanditias Christum imbibit: ac mox Christianæ pietatis rudimentis imbutus, simulq; bonis literis, quarum ea ætas tum capax esse poterat. puer adhuc Romanam missus est, uelut ad primariam eo seculo tū religionis tum eruditionis magistram, liberalibus studijs erudiendūs, quod ipse super ii. caput Ezech. declarat. Præceptores ibi habuit eximios, Donatum in Grammaticis, & Victorinum in Rheticis. sub huiusmodi uiris in bonis literis iam adultior nullum doctrinæ genus intactum reliquit. Porphyrii Isagogen, Aristotelicam, Platonicā, & cæterorum omnium philosophiam attigit. Historijs etiam & Mathematicis operā dedit. partim quod intelligeret apud Latinos ad id temporis usque Theologiam penè infantem esse, & ob hanc causam permultos à diuinorum uoluminum lectione abhorre, speras futurum ut plures sacris literis delectaretur, si quis Theologiae maiestatem dignitate sermonis æquaslet: partim ut esset aliquādo quod ethničis obijci posset, Christianos ut infantes & elingues despiciētibus. Studiorum sodales habuit Pammachium, Bonosum, & Heliodorum. Itaq; Romanę urbi multū debuit, præsertim cum etiam ibidem baptizatus candidam Christi uestem, symbolū innocentiae accepisset. Cum autem eo tempore celeberrima quoq; Christianorum schola Treuiris in finibus Galliæ & Germaniæ esset, ipse sese eō consultit, & cum Ruffino & Florentio (ut Auentinus dicit) gnauiter studijs incuravit. Ibidem etiā ingens Hilarij uolumen de synodis suapte manu descripsit, & magnam literarum notitiam nactus fuit. Postea secundum Danubium per Germaniam descendens utranque patriam reuisit, eam scilicet in qua natus, et eam in qua baptizatus fuerat.